

mici pl. & venerandi & amandi, quos etiam hoc Schediasmate per  
me subjectissimè ad audiendum se invitat, MICHAEL **Findeßeller**  
*Dresdensis ex familiâ uti satis vetustâ, ita variis virtutum insignibus*  
*conspicuâ.* Facit verò illud ex consilio & voluntate Parentis sibi di-  
lectissimi *Amplissimi Viri Domini CHRISTIANI Findeßellers/ cui*  
*Serenissimus ac Potentissimus Elector Saxonie ob raram fidelitatem*  
*& insignem dexteritatem Secreta Redituum Canonicariorum jamdu-*  
*dum commisit.* Nolo heic in ambitiosas laudes excurrere, aut am-  
pullis adulatoriis has chartas dilatare, nōstis enim pleriq; omnes,  
quām planè istud à meogenio & ingenio siet alienum. Hoc tamen  
verè scribo, & Patrem tanto filii obsequio dignum, & Filium tanto  
patris amori atq; curæ esse idoneum, utrumq; autem studia libera-  
lia & eruditionem vero precio metiri. Inde factum est, ut non tan-  
tum laudatus Dominus Parens ab ipsis ferme serperastris doctissi-  
mis atq; elegantissimis formatoribus tūm intra parietes domesticos  
tūm sub umbrâ Scholæ publicæ Dresdensis hujus filii animum effi-  
giandum curaverit; sed Filius etiam suarum rerum magis magisq;  
satagens chartis, doctis illis, non lusoriis, impalluerit, plus olei &  
ceræ, quām vini aut ambræ insumserit. Cūmq; ab ipsis usq; *Ka-*  
*lendis Martiis anni superioris cīc cīclmi sub institutione nostrâ,*  
*mēa publicâ, privatâ atq; domesticâ, sine querelâ vixerit, suarum*  
*partium esse ratus fuit, ut publicum nostrarum Musarum Mæcenati-*  
*bus suisq; Præceptoribus diceret Vale, publicoq; testimoniio orna-*  
*tus Lipsiam cui eum Dominus Parens & honoratissimi Cognati de-*  
*stinârunt, ingrederetur. Numerò mihi in mentem venit, quod o-*  
*lim ex quodam Programmate Wratislaviæ ab Excell: Sagittario pu-*  
*blicis typis commisso excerpti: agnoscetis stylum, & ita se habet,*  
*Fit sape ut qui studiosi esse debebant, in studio sint sues, qui discentes, de-*  
*sidentes, qui currentes, carentes, qui Theologi, matæologi, qui Iure con-*  
*sulti, Iure stulti, qui Medici, mendici, qui sophi, scyphi, qui doctores, de-*  
*coctores, qui pastores, non raro tandem pistores: & sic sunt nihil magis*  
*quod audiunt quām Moniales quādam, quæ νύμΦαι ἔνυμΦοι, παρθένοι*  
*τὰωμάρθενοι. Talis numquā futurus est Noster, aut indolē suam præ-*  
*clarām ejurabit, quod abominamur. Isidorus Eques Romanus, Bar-*  
*nabe*